







DISPUTATIO VII.

Centuriae tertiae

QVÆSTIONVM
ILLVSTRIVM

PHILOSOPHI-
CARVM

In Inclytâ *Wittebergensi* Academia
Proposita:

PRAESIDE

M. IACOBO MARTINI
LOGICES PROFESS.

Publ.

RESPONDENTE

CASPARO BARGELIO
Dantiscano-Boruffo.

*Ad 31. d. Octobr. hor. à 6. matutinis in Auditorio Col-
legii veteris.*

WITTEBERGAE

Excudebat Iohann. Schmidt, Sumptibus
Pauli Hellyvigi Bibliop. Anno 1607.





V I R O

*Amplissimo, Prudentissimo, Autoritate, pietate, longoque
rerum usu & experientia præstantissimo*

Dn. REINHOLDO *Luc*
benario / INCLYTÆ REIPVB. VETE-
ris oppidi Regiomontani Borussorum Se-
natori dignissimo, Mœcenati suo
plurimum honorando.

IVXTA ITEM

Clarissimo & Doctissimo Viro

Dn. M. VALENTINO
RASCHIO IBIDEM SCHOLÆ MO-
deratori meritissimo olim Præceptori suo
fidelissimo, fautori & promotori ob-
servantissimo.

*Exercitationes hæc Philosophicæ in gratâ mentis tex-
tûm & debitæ observantiæ ἀποτίμωμα*

Inscribit & offert

Respond. & A.



QVÆSTIO 1.

An conversio sit solummodo Affectio propositionum?



Vod † princeps Philosophorum libr. 1. Ethicor. cap. 14. veritatem amicitie in honore preferendam esse præclare docet, id unumquemque & præstare & pro ea dimicare decet: potior enim qua vis existimatione nobis debet esse veritas, & potius amicitia à viâ veritatis aberrans resignanda, quam veritas deserenda est. Quod & nobis hæc in questione faciendum esse putamus. Ignoscas igitur, doctiss. Regi, quod à te paululum resiliamus, videris enim excedere, cum in exercitationibus tuis Logicis lib. 3. probl. 5. pag. 89. non solum conversionem propositionum, sed etiam enunciationum affectionem demonstras. Nec tu, Rame, moleste feras, si tua quoque hic argumenta in proscenium ducamus, & ad trutinam scutamque veritatis examinemus. Quid hæc sibi volunt, cum conversionem ex agro Logico, tanquam inutilem, & nullius momenti, exterminandam putas? Ram. Schol. Dial. lib. 7. c. 4. Beurhus. part. 2. p. 884. & in Coll. p. 134. Buscher. in Harm. p. 279. nonne defectum arguunt? Vtique: quod abunde satis ex tuis rationibus & nostris solutionibus constabit. Perplacet, igitur antequam nos nostram confirmemus sententiam, ipsorum tela & argumenta cui vis ante oculos ponere, ut ita prævisa minus nocere, facilius excipi possint.

Regius † dicto loco & cum ipso Flacius, Crellius, & quamplures alii, hæc argumenta, quibus sententiam suam fulcire conantur, afferre videntur. 1. Id quod alicui rei constituta præter suas partes essentielles supervenit, ejus affectio dici & esse dicit: Conversio Enunciationi præter partes suas essentielles supervenit. E. 2. Quod tam enunciationi, quam propositioni, convenit, eique inserunt, frustra ad so-

lam propositionem restringitur. At conversio talis. Ergo. 3. Finis seu usus rei diversus, essentiam illius rei non immutat: siquidem unus rei plures possunt esse fines. Ergo nec conversionis Essentia & natura immutatur, si simul & enunciationi & propositioni inserviat: proinde cum reductio etiam utatur conversione, quæ tam enunciationi simpliciter considerata, quam propositioni in Syllogismo posita competit; sequi omnino videtur & conversionem tam enunciationis, quam propositionis affectionem esse & dici debere.

3. Ex adverso & Ramistarum cohors, hanc omnino evertere & eliminare toto conamine molitur, hisce suis, ast fatilibus, machinis. 1. Cessante fine, cessant & omnia media ad finem tendentia. Atqui reductio, Finis conversionis, nulla est. Ergo. 2. Modus argumentandi per conversionem est inanis lusus. E. frustra proponitur. Consequentia majoris patet. Quicquid caret medio formam argumentandi non constituit. Conversio caret medio. Ergo. 3. Ramus Schol. dialect. lib. 7. cap. 4. ita argumentatur. Quicquid non definitur obscurum est: Conversio non definitur. Ergo obscura est: & per Cons. seq. reprehensione digna. 4. Cuiusq; disciplina præcepta proficiuntur a sensibus & inductione singulorum exemplorum. Zabarell. lib. 1. post. Anal. c. 15. p. 890. At conversionis exemplum nullum est materiale in ullo probabili authore, puta Virgilio, Homero, Cicerone. Ergo.

4. Verum & omnes dextrè philosophantes cum Aristotele eam non modo affectionem esse defendunt, sed etiam propositionum affectionem tantum esse demonstrant, probe distinguentes inter enunciationem & propositionem, quandoquidem propositio in solis syllogismis, enuntiatio extra syllogismum, & in nuda dispositione subjecti & prædicati consistit. Hujus sue assertionis fundamenta hæc sunt: Affectio propositionum non est affectio enunciationum: Conversio est affectio propositionum: Ergo. Major patet. Minor probatur: Si conversionis usus sit propter reductioem: reductio vero tantum instrumentum Syllogismi, ut nimirum Syllogismi imperfecti, & tantam evidentiam concludendi non habentes, reducantur ad perfectos; sequitur quod & conversio tantum sit propter Syllogismum, & sic consequenter tantum propositionis. E. Hoc ipsum etiam Philosophus l. 2. post. Anal. & l. 2. prior. cap. 8. asserit. Ramo & suis affectis hoc opponimus: Omne instrumentum, quo veritas elici indagarique potest, fundamentum & sedem in Logica habere debet

debet: quandoquidem Logica est veritatis indagatrix. Ad conversione indagatur veritas. E.

Pro objectionum + solutione notanda. 1. est distinctio inter 3. affectionem propriè ita dictam, quatenus ex suis partibus essentialibus constitutis immediate effluat, & communiter intellectam pro quocunq; genere accidentis. 2. Inter consequentiam aliqualem, & argumentationem perfectam & probativam. 3. Inter id, quod per se est necessarium & quod per aliud.

Rationes + Regii quod attinet ad primam & quidem ad majorem & rem respondemus eam limitando. Quod si loquatur de affectione in latè significatione sumptà, non minus inficias posse & enunciationi competere, sed valde abusive: sin verò de proprià, tum esset ipsi probanda minor: nam conversio, ut conversio, non potest dici affectio enunciationis: quia proxime non fluit ab enunciatione; sed à propositione, quatenus illa est reducenda & perfectior reddenda. Ad secundum. 1. quod aequè hac distinctio argumentum tollat. 2. quod committatur in minore petitiò principii. 3. Quod conversio non inserviat enunciationi nudæ & simplici, sed sub formâ syllogisticâ proposita. Ad tertium. Quod vicissim fiat petitiò principii: negatur igitur consequentia majoris. Nam hoc indiget probatione, conversionis, ut conversio est, duplicem finem esse, ita ut inserviat tam enunciationi quàm propositioni.

Ad + Ramistarum agmen nos convertimus & ipsorum primum 7. argumentum diluimus, majorem quidem concedendo, aut minorem negando quod suo loco fusius patebit: finis enim seu usus reductionis per se patet in syllogismis imperfectis ad perfectos reducendis. Ad secundum. Negamus majorem quod ultima nostra probatio satis superque testatur se it. Probationem quod attinet respondemus, conversionem non propter probationem, sed propter reductionem proponi; seu quod sit aliqualis consequentia in conversione, non autem argumentatio probativa, Reg. 1. lib. 3. probl. 5. pag. 92. Ad tertium respondemus ad majorem, illam limitando. Illa quæ in natura sua obscura sunt, nec definiantur, obscura manere; illa vero quæ per se dilucidè apparent, & quorum scientia aliquali descriptione nobis potest esse cognita, non semper esse definienda: alias sequeretur & principia esse definienda, quorum tamen scientiam sine definitione habemus. Ad quartum. Est ibi inductio imperfecta quæ nihil concludit: Non datur in Homero, Virgilio, & Cicerone ullum exemplum. Ergo nullibi: quasi vero hoc



solum poetarum & Oratorum scripta concernat & non simul Philo-
sophorum. Distinguant igitur inter usum vulgarem & accuratum seu
philosophicum.

QVÆSTIO II.

An tantum duo sunt modi conversionis:
Conversio simplex & conversio per Acci-
dens?

1. *Vulgare + & in ore omnium Philosophorum est axioma: Entia
præter necessitatem non esse multiplicanda: quod innuere &
confirmare videtur Aristoteles 1. de part. animal. cap. 2. & 3. Hinc
docti & viri acutissimi διχοτομίας omnibus temporibus tum propter
fortiorem membrorum disjunctionem, tum propter comprehensionem
faciliorem, Kecker. in syst. Log. p. 254. comprobant: ita tamen
ne eam simpliciter & ἀπλῶς, ut eximii nostri Magistri, Ramista
scilicet intellectam velint, sed καὶ ἄ τι, ut ex viris undiquaque doctissimis,
Hieronymo Savanorola lib. 2. Epit. Log. Theor. 1. & Iodoco
Vvillichio l. 1. log liquidissime patet. Tale nostrum hoc est proble-
ma ab Aristotele l. 1. prior. Analyt. cap. 2. propositum: circa quod li-
cet diversi in diversam eant sententiam, & præter duas enumeratas
species, alii tertiam, nimirum contrapositionem, alii plures, ut vide-
re est apud Iavellum tract. 3. de prop. p. 72. addere contendant, quia
verò ejusmodi nec in usu esse, nec pro reductione Syllogismorum deser-
vire videntur, illas tanquam inutiles, eliminamus, nostramque sen-
tentiam probatam damus sequentibus rationibus.*

2. *In Conversione † utrobique iidem termini maneant necesse est:
Atqui in contrapositione non sunt iidem termini: Ergo non sunt con-
versionis species. Major patet ex natura & definitione conversio-
nis. Minor probatur. Quicquid ex subiecto finito facit subiectum
infinitem & vice versa & ex prædicato finito prædicatum infinitum,
id peccare in definitionem conversionis dicitur. At contrapositio hoc
efficit, ut patet ex exemplo supposito: Omnis homo est animal: Ergo
quicquid est non animal, non est homo. Cuiusque igitur non con-*

venit

venit definitio eidem nec definitum conversionis: Ergo contrapositionis non est conversionis species. 2. Membra dividenda cum toto consentire debet: quandoquidem eidem insunt ordinemque ad totum habent totumque mensurant. Keckerman. in system. Log. pag. 250. At contradictio non inest conversioni nec ordinem ad illam habet. Ergo. Major est axioma Philosophorum à Zabarell. lib 2. de nat. log. cap. 2. notatum. Minor ex precedente liquet argumento. 3. Omnis conversionis species est propter reductionem. Contrapositionis non est propter reductionem. Ergo. Major ex precedente problemate constat: Minor probatur. Omnis reductio reducit beneficio conversionis Syllogismos imperfectos ad perfectos Syllogismos. Atqui hac specie conversionis contrapositionis nulla potest fieri reductio. Ergo.

Contra† Dd. Coloniensis insurgunt tertiamque speciem nobis 3^o obtrudunt hoc argumento. Vbicunque est transmutatio subjecti in predicatum, & vice versa predicati in subjectum; ibi est conversionis aliqua species: Atqui in contrapositione est mutatio subjecti in predicatum & vice versa. Ergo. Verum respondemus, ipsos committere ignorationem Elenchi in majore. Nam insufficienter verba definitionis citantur: quandoquidem non nuda transpositio terminorum, sed & eorum qualitas probe observanda est, quod in contrapositione negligitur: negamus itaque minorem, illamque secundum quid veram esse concedimus. Instant: Quamquam termini finiti & infiniti non sunt iidem secundum significationem, sunt tamen iidem secundum vocem: Ergo in conversione contrapositionis locum habere potest. Verum laborat hoc argumentum petitione principii. Nam cum logica non tam sermonis, quam rationis habitus sit, & rei potius, quam verborum rationem habeat, sequitur instantiam illam nullam esse, quippe natura conversionis non probe in contrapositione observatur cum re ipsa mutata nuda voces remaneant. E. contrapositionis non inter conversionis species referri non posse ipsa ratio suadet.

QVÆSTIO III.

An præter particulares scientias sit ponenda scientia universalis ab aliis distincta?

Non † hoc loco queritur, an detur universalis aliqua disciplina, quæ omnium particularium disciplinarum principia & affectio-

affectiones generaliter demonstret. Nam hoc ab omnibus sanioribus est in confesso. Aristoteles ex poem. cap. 1. & 2. & libr. 4. Metaph. cap. 7. & 1 poster. cap. 7. 1. Top. cap. 2. 1. phys. cap. 2. Suarez disp. 1. l. 4. d. 23. p. 24. quanquam nec hoc Philosophicæ veritatis hostes concedunt: inquit enim: Ramus Schol. Metaph. in præf. & lib. 3. cap. 2. Schol. Metaph. Nothold. in diatr. cap. 13. non solum non posse dari talem scientiam, sed & cælum cum terrâ misceri, confusum chaos & indigestam molem illos creare clamitant, qui Metaphysicam à particularibus distinguant scientiis, cum omnes illi termini in Generali illâ scientiâ contenti, jure suo & juxta legem uox αὐτῶ, sunt particularum proprii: quid quæso tractatio communium principiorum & attributorum, quibus res aliarum disciplinarum conveniunt à consideratione Logica discrepat? quid scientia de Deo & intelligentiis à Theologia differt?

2. His ꝑ præterquam quod nesciant distinguere inter αἴτιον & ἕκτιστον, & inter usum popularem & eruditum, opponimus hoc argumentum. Omne scibile pertinet ad aliquam scientiam: relatum enim suum respicit correlatum. Ens, ut Ens, cum suis affectionibus & speciebus proximis aliisque attributis generalibus, est aliquid scibile. Ergo ejus tractatio pertinebit ad aliquam scientiam. Ad non ad aliquam ex particularibus: tum quia vel ad omnes, & hoc est absurdum, cum idem sapius repeteretur: vel ad unam aliquam earum: at cur non potius huic, quam illi, cum subjectum tale universale communiter insit in omnibus, tribueretur: tum quia qualibet earum est particularis, tractatio autem Entis universalis: transiret igitur fines suos & ex particulari fieret universalis, quod æque absurdum. Ergo dari necesse est aliam scientiam, quæ Ens ut Ens in latitudine consideret Pererius lib. 1. phys. c. 7. p. 23.

3. Verum ꝑ hic cardo potissimum questionis volvitur, an illa scientia generalis, cum omnium principia considerat, sit realiter distincta à particularibus. Ægid. 1. Metaphys. quæst. 22. & in princip. poster. Antonius Mirandul. l. 13. de everf. sing. certam. l. 6. & 7. in negativam eunt sententiam, demonstrantes reliquas scientias non esse totaliter distinctas à Metaphysica, sed potius partes esse unius scientiæ, & ob communem usum & varietatem rerum, ac si essent distinctæ, addisci, doceri, proponi. Suarez ex mente Mirandul. disp. 1. lect. 2. p. 9. suæque assertionis fundamenta hæc ponunt. Quæ scientia

116

ria considerat totum, ejusdem est etiam considerare partes, Aristoteles lib. 1. poster. cap. 23. Atqui scientia universalis considerat totum. Nam de rebus omnibus & earum proprietatibus, usque ad ultimas species seu differentias disputat, Aristoteles 1. Metaphys. cap. 2. & 4. Metaphys. l. 2. Ergo. 2. Si universalis scientia descendit ad considerandas rationes entium materialium, eaque dividit, prius propriam rationem & quidditatem eorum, ut Sic, sciat necesse est. At verum prius. Ergo & posterius. Consequentia majoris patet. Quicquid enim scit distinguere immateriale à materiali, priusquam ad immateriale descendat, probe investigat materiale. Ergo scientia universalis considerat simul res materiales & immateriales. Ergo universalis scientia à particulari re ipsa non distinguitur.

Verum † in contrarium est Philosophus lib. 11. Metaph. cui 4. subscribunt Peripatetici fere omnes, asserentes, particulares scientias revera esse distinctas ab universali: quia modo considerandi distinguuntur. Pugnant præterea pro Aristotele & hæc argumenta. Si universalis scientia non considerat omnia entia secundum omnes rationes speciales, prout reliquæ scientiæ ea considerant, sequitur eas ab universali scientia, re esse distinctas. At verum prius. Ergo & posterius. 2. Quæcunque formâ differunt re ipsa differre dicuntur. Scientia universalis à particulari formâ differunt. Ergo. Minor probatur: Modus considerandi cujuslibet disciplinae est ipsius forma: At discrepant modo considerandi. Ergo. Minor constat. Nam physica considerat entia materialia, Mathematica considerat entia intentionalia à re tamen abstracta, Metaphysica seu scientia generalis considerat entia ἀπλῶς, prout talia. Quod igitur suum proprium habet ad æquatum subjectum, quod nulla sibi scientia vendicat, nec vendicare potest, id ab aliis re distinctum esse ulterò sequitur; At verum primum: verum & secundum. Timpl. lib. 1. c. 1. p. 13.

Pro † determinatione quæstionis distinguimus cum Verfore 5. lib. 11. quæst. 4. inter materiale & Formale: Quoad materiale scientiæ particulares ab universali non distinguuntur; partes enim simul sumptæ à toto non distinguuntur realiter: quod etiam prior vult sententia: quo ad tamen formale, distinguuntur, quod posterior probat sententia.

B

QVÆ

QVÆSTIO IV.

Vtrum aliqua scientia considerat Ens per Accidens?

1. *Quid + propriè Ens per Accidens sit, & quomodo ab Ente per se distinguatur, videatur Suarez disp. 4. l. 4. d. 14. Aristoteles l. 4. Metaphys. cap. 6. triplex facit Ens per accidens. 1. quando accidens prædicatur de subiecto, ut Coriscus est Musicus. 2. Quando compositum ex subiecto & accidente prædicatur de subiecto, & unum constituit. 3. quando utrumq; accidit tertio sive subiecto, & tum a: cidens de accidente prædicatur. De hoc Ente per accidens queritur, an possit ab aliqua scientia, ut est Ens per accidens, considerari? Hic probè distinguendum esse putamus, inter duplicem considerationem Entis per accidens. 1. consideratur secundum rationem & definitionem suam: atque ita concedimus, posse & Ens per accidens in scientiâ aliquâ considerari: tum enim ab accidente sic dicto non multum discrepat: quando vero consideratur ut aliquid ex rebus diversis, absque reali & physicâ unione earum inter se, quod realem unam essentiam non habet, negamus cum Versorio l. 11. Metaph. quæst. 5. & cum Armand. de bell. vis. pag. 4 illud ad scientiam ullam vel artem pertinere. Aristot. 6. Metaph. idque hisce rationibus evincimus.*
2. *1. Quod + nec causas nec species determinatas habet, id sub nulla scientia cadere potest: quandoquidem scire est rem per causas cognoscere, 1. post. 2. At ens per accidens non habet causas & species determinatas. Ergo Entis per accidens, non est scientia. 2. Scientia est rerum necessariorum & universalium, 1. post. Ens per accidens, neque est Ens necessarium, nec universale: quia neq; causas certas, ut jam probatum est, habet, neq; omnibus aut pluribus inest: E. 3. Qualibet scientia habet ens certum & positivum: Ens per accidens non est ens. E.*
3. *Huic + nostræ assertioni occurritur contrariis quidem, ast juvenilibus argumentis. Quid? inquis; si nulla Entis per accidens detur scientia? redde rationem, cur Philosophus lib. 4. Metaphys. ejus tractationem suscepit? Dic? cur Logica omnium scientiarum scientia de Sophista agat, fallaciam accidentis tibi monstret? nonne satis superque testatur, esse de cujuslibet scientiæ natura, non solum ea quæ per se, sed etiam*

etiam quæ per accidens sub aliqua scientia cadunt, considerare. Quid ad illud respondes? cum omne Ens sit referendum per se ad scientiam, nec minus Ens per accidens sit ens, (Ens dico in suo genere, licet in comparatione ad Ens per se sit minus,) & dici de aliquo etiam requirat inesse consequens esse videtur, ut & ipsi scientia assignetur.

Verum & hisce tuis objectionibus facile ex jam motis potest satisfieri, si n. probe observa veris duplicem Entis per accidens considerationem, non est quod hastam erigas & bellum moveas, diruta disrumpa jacent tua stratagemata, quibus veritatem debellare contendis. Primum in sumum abit. Nam Aristoteles non considerat ens per accidens, ut objectum alicujus disciplina: tum enim sibi contrariaretur, quippe qui Entia per accidens, nec ad scientiam, nec ad artem aliquam pertinere, 6. Metaph. affirmavit: sed considerat illud citato loco secundum suam definitionem, & rationem ut tibi innotescat, quid & quale sit & quomodo sub nullius scientia considerationem cadere possit. Nec secundum quid roboris habet. Agitur de Sophistica & fallacia accidentis in Logica, non ut in proprio subjecto, sed ut aliquid extrinsecus adveniens. Proinde Sophistica versatur circa Non-ens, nam falsum, quod est ejus individuus comes, est Non ens, Non entis nulla est scientia. E. & Sophistica nulla erit scientia. Tertium quod attinet; laborat minor fallacia equivocationis in voce Entis, quod vel proprie; prout habet essentiam suam veram & aptam ad realiter existendum, vel minus proprie & secundum quid dicitur: illius tantum est scientia, hujus nulla.

QVÆSTIO V.

An indivisibilia sint Entia positiva & realia in continuo?

Aristoteles † in Categoriis & lib. 5. phys. c. 3. t. 36. Continuum id esse definit, cujus partes copulantur ad communem aliquem terminum indivisibilem: Hujus continuitatis rationem Scaliger triplicem reddit: prima est à propinquitate partium, quâ fit densitas: altera à durtie, quâ fit resistentia: tertia à glutinositate, quâ fit pertinacia cohesionis: ex. 8 p. 45. Esse vero in illâ continuitate indivisibilia; que partim continuum terminant, partim etiam & multo magis partes continui copulant, id ad unâ omnes ferè affirmare videntur: sed his & controversia in eo maxime consistit: an indivisibilia illa sint entia positiva & realia?

B. 2.

Digla



2. Digladiantur & inter se, tum Nominales tum reales acriterque pugnant: Illi nec in medio nec in fine, entia indivisibilia realia & positiva ponunt, tantumque ex illis meras negationes faciunt; hi utrumque & in medio continui esse, & in fine indivisibilia realia affirmant. Istius opinionis asseveratores sunt, Durand. in 2. d. 2. q. 4. Ocham. in tractatu de Eucharistia Sacr. c. 1. & 2. quodlib. 1. quaest. 9. eamque probant his argumentis. 2. Si indivisibile est ens rei, ostende subjectum adaequatum, id est, substantiam indivisibilem, in qua contineatur. At substantia nulla est indivisibilis. Ergo. Indivisibile Ens nullum positivum erit. 2. Punctum Ens indivisibile est negatio durationis. Ocham. At negatio non est Ens reale. E. 3. Omnis mathematica contemplatio est Ens rationis. Indivisibilium contemplatio est mathematica: imaginamur enim in linea puncta, in superficie lineas, in corpore superficies, sub ratione indivisibilium. E. 4. Quod solum est potestate in continuo, & in privatione sola, & ut Mercurius in lapide seu ignis in silice, id non ut Ens reale & positivum, sed ut intentionale & imaginarium inest. Atqui Indivisibile continuo non actu sed potestate, non positive sed private, &c. inest. 8. Phys. cap. 8. lib. 2. de anim. &c. Ergo.

3. Realium & defensores his pugnant argumentis. Realia accidentia, realia subjecta postulant. Atqui accidentia multa realia superficiei in sunt. Ergo & superficies, ut Ens indivisibile, reale sit necesse est. 2. Nullum ens reale cum ente rationis copulari potest: Atqui indivisibilia cum ente reali conectuntur. Ergo. 3. Si ab indivisibilibus, Philosophi, reales possunt texere demonstrationes, & indivisibilia realia esse sequitur: aliàs effectus esset suâ causâ melior. At verum prius: Ergo. 4. Omnis generatio & corruptio est realis. Omnis generatio & corruptio est in instanti. Ergo Instans est reale. Aristoteles lib. 3. phys. plura desiderans legat Pererium lib. 10. de quant. c. 13. Dd. Conimb. l. 6. phys. c. 2. q. 1. art. 2.

4. Restat & Neutralium opinio, quæ nec huic, nec illi simpliciter assentiri, sed medium tenere & rectam incedere viam videtur. Distinguit hæc inter Entia indivisibilia rei actu & potentiâ; illorum tantum unum, superficies nimirum, in quolibet corpore actu positivum & reale esse asserit Fonseca l. 5. Metaph. cap. 13. quaest. 6. reliqua verò non actu insunt corpori, sed mathematico more consideratâ potentiâ inesse dicuntur.

Sententia

Sententia igitur decisiva hujus quaestionis est. Quod quidem s-
omnia indivisibilia sint entia realia & positiva; sed quaedam actu in-
sunt corpori, ut superficies; quaedam vero non nisi potentia, nec pos-
suntia Physicâ, sed potentia Logicâ, qua tripliciter ad actum reduci
possunt; aut divisione reali, aut figurâ conformatione, aut designatio-
ne partium. Divisione reali; ut cum corpore diss. llo, superficies in cor-
pore potentia clausa, actu eminet. Conformatione figurâ, ut lineâ & pun-
cta, quae potentia delitescunt in corpore, nec prius actu ei inesse demon-
strantur, (non quidem Physicè sed mathematicè,) quam ut corpus sphae-
ricum commutetur in cubicum & angulare. Designatione partium du-
cuntur Entia indivisibilia in actum, cum mente solum apprehensa se-
cundum usum proportionis rebus accommodentur. Cal. in phys. l. 6.
cap. 1. p. 769.

Instas igitur si quaedam indivisibilia à Mathematico tantum demon- 6.
strantur, ut patet ex dictis, omnino illa tantum indivisibilia rationis
esse ulro sequitur, quandoquidem Mathematicus versatur circa en-
tiam rationis. Ergo. Verum facilis est ad illud responsio. Duo enim
potissimum in Mathematicis observantur. Apprehensio, & applicatio.
Apprehensio, & sic Mathematica sunt rationis: quia sunt in mente
tantum, extra mentem autem nihil: applicatio, quatenus rebus ap-
plicantur & sic sunt entia rei; quod vero punctum sine lineâ, lineâ
sine superficie, superficies sine corpore, sensibus non percipiuntur, hoc
ipsum indivisibilitas facit. Huic igitur sententiae veritati ma-
gis consona, & nos subscribimus contraq; sententia secundum quid reji-
cimus: Nominalium quidem, quatenus indivisibilia nec actu nec po-
tentia realia & positiva agnoscunt. Realium vero, quatenus omnia actu
realia defendunt.

QVAESTIO VI.

An continuum ex solis indivisibilibus co-
alescat?

Ex precedente igitur quaestione satis superque constat, continuum ex 1.
indivisibilibus partim terminari, partim etiam copulari. Hinc jam
quaeritur? utrum continuum ex solis indivisibilibus coalescat, Qui af-

B 3

firmantem

firmantem sententiam suscipiant defendendam, hæc inferunt. 1. Omnis
linea, aut ex puncto aut ex aliquo alio componitur: At non ex aliquo
alio; ratio in promptu est, quia tum puncta negarentur de linea,
quod est absurdum. Ergo ex punctis: Punctum autem est indi-
visibile; linea constat ex punctis: Ergo linea coalescit ex indivisi-
bilibus: Linea vero est continua. Ergo. 2. Instans est temporis for-
ma, Aristoteles 4. Phys. forma vero est rei perfectio: Ergo instans
est temporis perfectio. Instans est indivisibile. Ergo. 3. Dicitur
de aliquo requirit inesse: Atqui indivisibilia dicuntur de continuo A-
ristoteles lib. 1. poster. cap. 4. Ergo. 4. Cælum totum est indivisi-
bile. Cælum totum est continuum. E.

2. Hujus sententiæ vanitas, rationumque nullitas, non solum ab
Aristotele lib. 6. Phys. cap. 1. text. 1. 3. 4. 5. &c. satis evidenti-
bus argumentis est demonstrata: sed & à modernis Philosophis, Pere-
rio lib. 10. cap. 13. pag. 574. Coll. Conimbr. lib. 6. phys. cap.
2. quæst. 2. art. 2. Iavellus sup. libr. 6. phys. cap. 1. Algazel. tra-
ctat. Metaphys. Avicenn. tum mathematicis tum naturalibus argu-
mentis refutata, è quibus quedam in medium ducere est animus. 1. Ex
non quantis, quantum fieri nequit. Linea est quanta. Ergo ex indi-
visibilibus non constabit. 2. Omnis linea mathematica potest secari si-
mul in duas æquales partes, & duas inæquales. Iam vero linea con-
stans ex tribus punctis non potest secari simul in partes æquales, quia
numerus punctorum est inæqualis. Ergo. 3. Si magnitudo compos-
nitur ex indivisibilibus, indivisibile potest fieri divisibile, quod est
contradictio in adjecto. Consequentia probatur à duobus mobilibus,
quorum unum duplo velocius est altero. Si igitur velocius in unâ ho-
râ pertransierit magnitudinem septem punctorum, tardius ni-
mirum, tantum mediætatem absolvet, id est, magnitudinem
triumpunctorum & dimidium quatri. Ergo punctum hoc loco redde-
retur divisibile, quod est absurdum.

3. Pro determinatione hujus questionis 1. respondent Conim. Con-
tinuum seu partes continui posse considerari, vel divisim, vel colle-
ctim. 2. Distinguendum est inter continuum quo ad separationem par-
tium, & quo ad ordinem & dispositionem unius partis extra aliam.
3. Inter partem propriè ita dictam & analogicè.

4. Iam ad argumentum primum prioris opinionis, respondemus ad
Majorem, eam simpliciter non esse veram, nec ex partibus a deo disjunctis ut

Etis, ut i. num a' terum expellat, amba enim subsistere possunt, ita tamen, ut diversus attendatur respectus. Nam linea potest constare ex lineis minoribus, quando puncta divisim sumantur: Collecti vè verò quando considerantur, nullum tum amittit medium, atq; ita negamus minorem. Ad secundum. 1. Major si loquatur de formâ alicujus rei essentiali, negamus instans esse temporis formam: si vero per analogiam forma consideratur, ut forma propositionis copula, tum ipsis concedimus. 2. Instans dicitur pars temporis physicè consideratum, non vero mathematicè. Ad tertium. Quod illud ipsum nihil aliud probat, quam indivisibilia inesse continuo, quod ultro largimur: quod vero hinc inferunt: Ergo ex meris indivisibilibus copulatur: respondemus plus non debere inferri, quam quod premissæ patiantur. Ad quartum respondemus ad inductionem, Cælum dupliciter considerari, vel secundum separationem partium: atq; hac ratione cælum indivisibile dicitur: vel quoad ordinem & dispositionem unius partis extra aliam, & sic divisibile esse potest.

QVÆSTIO VII.

An objecto remoto, species sensibilis in externo organo remanere possit?

Negate † ad propositam questionem respondemus. Quid enim, si 1. species sensibiles, quæ in esse & conservari ab objecto dependent, remanerent in externo sensus organo, nonne absurda inde sequerentur, unius accidentis naturâ posse multiplicari, & aliud producere accidens, nonne tolleretur distinctio inter sensus interiores & exteriores, qui potissimum ob id distinguuntur, quod illi, absente etiam objecto, circa species sensibiles discurrendo & imaginando versantur; hi vero non nisi suam actionem objecto præsentem perficiunt.

Non † est quod occinas, posse remanere speciem sensilem objecto etiam 2. remoto. Nam, inquis; fulgor aut color in oculis, odor in naribus, absente objecto, remanere, sæpius compertum est. Ad illud tilè respondendum putamus, quod distinguas inter sensationem perfectam, quæ non nisi præsentem objecto agit: & depravatâ; Depravatâ dico, cum aut organon illud sit læsum, aut phantasia quid falsi sibi imaginatur, quod ipsum ex tuis in medium adductis exemplis constat liquidissime. Fulgor enim parere dicitur coloris in externo organo, non quod post se revera relinquat, sed quod Spiritibus visivis, ex subitanea illâ motione percussis vix aut paulatim recollectis, phantasia sibi, falso tamè, persuadeat, esse speciem sensilem in externo sensus organo. Deinde probè distinguendum inter

inter speciem sensibilem externo sensus organo expositum, & inter speciem sensibilem ab objecto à mente jam abstractam: illa, remoto objecto, evanescit; hæc vero remanet. Similis ratio & odoris est. Nam cum nervi odoratus seu processus mammillares craneum non exeant, sed in ipso cerebro latitant, ut odor per nervos attractus, & cum spiritibus cerebri unitus, eos diutius reficiat & recreet, phantasia quadam ita sibi fingit, ut ea, quæ internis sensibus nobis imaginamur, externis percipere videamur, Horst. 2. exercitat. de anima q. 8. p. 113.

3. 2. Colligis † quod intensiorem & remissionem admittit, id in momento non evanescit. Species sensilis intensiorem & remissionem admittit: nam quæ nobis sunt remota à nobis minus observari, & accurate videri, quæ vero propiora & in justa distantia, oculis percipi possunt. Ergo. Verum & huic tuæ instantiæ satisfacimus, hac distinctione, ut nimirum inter accidentia spiritalia & realia distinguas: illorum enim natura & conditio est, ut subito fiant, consequens etiam est, ut subito intereant: Nam remota causa effectrice, à quâ in esse & in fieri dependent, subito quoque intereat effectum necesse est.

4. Progredieris † & experientia partim, partim auctoritate militare videris. Experientia; Nam, inquis, oculis nostris corpori luminoso obversis, postmodum verò clausis, obversari videntur radii colorati, qui satis superque testantur, remanere etiam semotis objectis in externis sensibus, speciem sensibilem. Auctoritate; inquis, huic tuæ opinioni & Aristotelem lib. de insomniis cap. 2. Averroem in suo tractatu. de somno & vigil. Augustin. lib. 10. de Trinitat. cap. 20. suffragari. Verum nondum palmam reportas: nam cum Dd. Conimbr. ad experientiam tibi respondemus, amoto corpore luminoso, amplius non dari ejus aspectum; sed visum falli, quia organum ita alteratum est, ut colorem contrarium statim recipere nequeat. Ad auctoritates respondemus, auctores illos non intelligere sensationes, sublato externo organo, dari re ipsa, sed apparenter, seu secundum deceptionem & fallacem estimationem Dd. Conimb. l. 11. de anim. c. 6. q. 3. Zabara. in tract. de sensu agente.

QVÆSTIO VIII.

An virtus moralis recipiat magis & minus?

Et t̄ aperiamus quid in hac quaestione statuendum sit, quadam 1.
sunt prelibanda: primum autem intelligi debet, virtutem acceptum
iri duobus modis: Simpliciter in se & suā naturā; & comparate seu
in alio. Virtutis comparatē accepta duplex est consideratio; vel enim
indifferenter se habet ad varias actiones humanas perficiendas; vel de-
terminatē ad ultimam scilicet & absolutam perfectionem Piccol. gr.
4. cap. 4.

His t̄ positis non movetur quaestio de virtute in se & suā Essentiā 2.
consideratā: illa enim per se definita, certa, & constans est, nec sibi ali-
quid addi patitur Arist. 8. Metaph. cap. 10. Porphy. c. de differ. Ne-
que de virtute comparatē sumta, quatenus ultimam & absolutam per-
fectionem respicit: sic enim est totum perfectum omne latitudine ca-
rens: sed de virtute, quatenus indifferentē se habet, & varia obje-
cta respicit, atque ita non adversatur ei recipere magis & minus.

Dicimus t̄ igitur, virtutem comparatē sumtam & indifferentē 3.
intellectam, intendi & remitti in subjecto in quo inherere & inesse
dicitur, ratio in promptu est, quia principia, affectiones, & differentie
magis & minus recipiunt. Principia: quis est, qui negaret ad virtu-
tes alios plus alios minus aspirare? quis negaret assuefactionem in-
tentiorem, constantiam firmiorem? Affectiones sunt delectatio &
gaudium, quae ex ipsa virtute fluunt, & homines pro ratione habitus
oblectant, gaudioque afficiunt. Differentias virtutum si quis non vi-
deat, oculo & iudicio carere merito dicitur.

Vanissimè t̄ ergo hallucinati sunt Stoici, (cum quibus Seneca, 4.
Cicero, & alii viri praestantissimi faciunt) vanissimè inquam halluci-
nati sunt, quā virtutem in Individuo positam gradibus non variari
dixerunt: circuitionibus multis utuntur, ut hoc ipsum probent. Nam
1. cum virtus sit medium geometricum, quo nihil simplicius, nil recto
rectius, qui fieri potest ut uni magis alteri minus fa veat? Legatur
Plutarch. in lib. de Stoic. contr. 2. Quid? si virtus intendi mi-
nuiq; posset, nonne & vitium magis & minus recipere diceretur? ratio
hoc ipsum probat; qualitates enim contrariae, eò quòd cum contrario
permiscuntur, suscipere magis & minus dicuntur. 3. Cum contrario-
rum par sit ratio, & vitia sint paria, ut qui parum à scopo recesserit
omnino errasse dicatur; cur virtutes non essent aequales? tum quia
praestantiores & magis in individuo sint posita; tum quia suā
naturā & conditione certae, definitae, & termino proprio circumscri-
ptae dicantur. C In

5. In tali circuitu Stoici, & his assentientes ambulant: verum facillimè ex tricis se expedirent, erroneamq; suam opinionem deprabenderent, si distinctionem, in fronte quaestionis positam, probè observarent. Primum enim quod attinet, licet concedamus, virtutem esse medium Geometricum; inde tamen non sequitur, nullam virtutem alià perfectiorem dari: quandoquidem medium illud non consideratur hoc loco, ut aliquid constitutum ex naturà rei; sed comparatione nostri, quatenus variè circa illud possumus esse affecti. Dd. Connimb. disp. 7. Eth. quaest. 2. art. 1. 2. Distinguendum inter rectum Geometricum; & rectum civile; illo nihil recto rectius dari; hoc vero posse Aristoteles in proemio mor. Nic. affirmat. Secundum nihil oppugnat, multo minus aliquid expugnat: non enim necessè est, ut remissio fiat in contrario: quandoquidem virtuti convenit magis & minus, vel per accessum ad id, quod est perfectum; vel per recessum ab eo; qui recessus & accessus fit extra vitium. Tertium laborat petitione principii, & est manifestè falsum. Vitia enim imparia esse non solum leges, sed etiam ipsorum materiale, in quo versantur; & formale, quod variè praeligit, testantur. Cum igitur vitia sint imparia & secundum magis & minus aestimentur, quidni & virtutes? cum contrariorum sit eadem ratio.

QVÆSTIO IX.

An valeamus virtute morali non uti vel malè uti?

1. Virumque † negamus. Primum enim cum virtus sit habitus variis hominū actionib. acquisitus, qui fieri potest, ut in medio quasi cursu quis desistat, & deficiat? Virtus enim in more posita, hoc habet propriū, ut sit semper regula & gnomon tum liberi arbitrii, tum omnium actionum humanarum instituendarum: Piccol. grad. 4. c. 52. hinc etiam definitur, habitus, quo volumus possumus & agimus honesta: primum igitur cum infirmo nitatur fundamento, facile corrumpitur.
2. Alterum † quo quaeritur, an etiam virtute morali valeamus malè uti: Scotus & alii defendendum sumunt. Scotus enim in 1. dist. 17. q. 2. habitum virtutis num eundemque posse & virtutum & vitium dici, affirmat, idque ex eo, quod virtutem non nisi in relatione conformitatis ad rectam rationem, in habitu tamen fundata, qui indifferenter se tam ad bonum, quam ad malum habeat, esse arbitratur.

trabatur. rem exemplo declarat: Vt enim superficies parietis, apta na-
ta est ad varios & diversos, imo contrarios recipiendos colores: sic se
habet & habitus ad virtutem & vitium. Verum Scoti ratio nulla est,
ut quæ sibi ipsi contradicere, & in canones predicamentales relationis im-
pingere videtur. Si enim virtus & vitium sunt relationes, formaliter
uni habitus advenientes, tum relationes fierent habitus, contrarieta-
tem inter se exercerent, quod est absurdum. Præterea constat hoc
ipsum ex definitione virtutis, quæ est habitus electivus in mediocri-
tate: si in mediocritate, quid juris habet cum vitio, ut quod longe à
medio recedat?

Alii tñ nituntur testimonio Aristotelis, qui l. 2. Eth. omnes acti- 3.
ones virtutis in nostrâ potestate collocat, hominemq; virtute præditum,
& posse malè agere & non solum non uti, verùm etiam perperam uti
virtute, affirmat. Verùm non obtinent, quod volunt. Nam 1. responde-
mus distinguendo inter per se & per accidens. Nam qui habitu virtu-
tis præditus est, per se non potest malè agere, illoq; abuti: quandoquidẽ
habitus in nostrâ non est facultate, nisi ex accidente; Quod si autem
actio perversa, ab habitu virtutis prædito, proficiscatur, eversus & la-
befactus jam dicitur habitus.

Concludimus tigitur virtutibus moralibus neminẽ posse perperam 4.
uti, vel non uti, nisi illæ omninò evertantur & oppugnentur: ratio,
quia in virtutibus moralibus, Rectum, simul opus & actionem respi-
cit. Sic vir justus, injustum perpetrans facinus, non amplius dicitur
justus, sed illam oppugnavit, totamq; evertit justitiam.

QVÆSTIO X.

An à semel receptâ sententiâ consiliarius
principis recedere debeat?

Prudentiâ & Constantiâ opus est omniaq; consilia ad publicam 1.
pacem conservandam dirigenda. Tria autem præcipuè Prudentia res-
picit: rectam rationem, multiplicem actionis circumstantiam,
mediorum optimorum electionem. Aristoteles l. 6. Ethic. c. 12.
Cas. in spec. quæst. moral. l. 6. cap. 12. His consiliarius principis
instructus incedat, secundum rectam rationem sententiam semel rece-
ptam examinet, circumstantias diligenter perpendat, optimumq; eli-
gat. Deliberandum enim diu est, quod semel statuendum: ne
incautus & præcepta à consueto veluti innato, quod nature simile Ari-
stoteles

Stoteles l. 1. Rhet. Macrobi. l. 7. Saturnal. & more majorum, qui in-
star legis habetur Cic. l. 1. de legib. recedat, discordiam inter Civēs
suscitet, sibi, totiq; Reip. damnum inferat.

Tunc etenim indomitas ardescit vulgus in iras
Telaq; conjiciunt. Ovid. 5. Metamorph.


Virgil. 2. Æneid. ——— Sevitiq; animis ignobile vulgus
Tumq; faces & saxa movent; furor arma ministrat.

2. Constantia † quoq; in consiliario requiritur: nihil enim est, quod
tam deceat, quam in omni re gerenda servare constantiam, Cic. l. de
off. nec se a quovis levi vento moveri, & ad varios opinionum scopu-
los allidi patiatur, aut ut sua fert similtas & arrogantia bonum ma-
lum vè publicum existimet. Salust. ad Cæsar. sed ut concordia, funda-
mentum, & basis Reip. conservetur unice studeat.


3. Decidimus † igitur cum Bodino l. 1. de Rep. hanc questionem,
distinguendo inter illas, qua commodum respiciunt publicum; & qua
privatum. Ab hac recedere posse Consiliarium, illamq; abrogare, cau-
te tamen & prudenter, ne discordia inter vulgus suscitetur, concedi-
mus; ab illis minime: ejusmodi enim abrogatio & recessio sem-
per fuit infelicissima, conjuncta non modo cum in-
commodo proprio, sed & damno publico.

Finis disputationis septimæ.









DISPUTATIO VII.
Centuriæ tertiæ
**QVÆSTIONVM
ILLVSTRIVM**
PHILOSOPHI-
CARVM
*In Inclytâ VVittebergensi Academiâ
Proposita:*
PRAESIDE
M. IACOBO MARTINI
LOGICES PROFESS.
Publ.
RESPONDENTE
CASPARO BARGELIO
Dantiscano-Borusso.
*Ad 31. d. Octobr. hor. à 6. matutinis in Auditorio Col-
legii veteris.*
VVITTEBERGAE
Excudebat Iohann, Schmidt, Sumptibus
Pauli Hellywigii Bibliop. Anno 1607.

